

5. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maléficus, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

6. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.

7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. * Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur?

8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis.

9. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,

11. & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.

12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: éritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

13. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

* Tob. 2. 22. *Iob 21. 15.* 14. * Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum quia custodimus præcepta eius, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?

15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.

16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo: Et

attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, quæ ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcat vir filio suo ferventi sibi.

18. Et convertemini, & videbitis quid sit inter iustum, & impium: & inter fervientem Deo, & non fervientem ei.

CAPUT IV.

Dies Domini inflammabit omnes facientes impietatem, evulsâ ipsorum radice: orientur sol iustitiæ Deum timentibus, qui calcabunt impios: iubet reminisci legis Moysi: Elias antequam veniat dies Domini mittendus prædicitur, qui convertat cor patrum ad filios.

1. **E**Cce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen.

2. * Et orientur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & fanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. * Luca 1. 78.

3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, quæ ego facio, dicit Dominus exercituum.

4. * Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël præcepta, & iudicia. * Exod. 20. Deut. 4. 5. & 6.

5. * Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. * Matth. 17. 10. Marc. 9. 10.

6. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate. * Luc. 1. 17.

LIBER PRIMUS
MACHABÆORUM.

LIBRI MACHABÆORUM tres adhuc circumferuntur, sed duo tantum priores auctoritate Canonica sunt habiti: iique soli iam in sacris Bibliis extant. Vocantur autem Machabæorum, quod Iudas Asmonæus, divine legis propugnator, idemque libertatis vindex acerrimus, in vexillis scriptam habuit sententiam eam que extat Exod. 15. 12. Mi Camoca Be Elim Iehova. Quis similis tui in Diis, Domine? Solent enim Hebræi primas litteras nominum colligere, & ex eis collectis vocem fingere compendij causâ. Exponunt hi duo libri statum Ecclesiæ Dei sub tertiâ, hoc est, Græcorum Monarchiâ. Eos à diversis Scriptoribus exaratos vel inde patet, quod prior historiam longius continuet, & posterior alius paulò repetat, ac easdem sæpe res aliter narrent. Stylus etiam longè diversus, siquidem prior ad phrasim hebræam propius accedit: Imò non eadem in utroque annorum ratio.

Hoc ultimum ut clareat, notandum est æram regni Græcorum non statim à morte Alexandri incipere, sed anno post undecimo, cum Seleucus Nicanor Sasiânâ & Mediâ devictis, iam regiam maiestatem & gloriam principatu dignam adeptus, regnare cepisse dictus est; unde hæc æra Seleucidarum est appellata. Æram Dhilkarnaim Arabes vocant, sive Cornigeri, id est Alexandri, qui Ammonis seu Iovis Cornigeri filius existimari volebat. Iudæi verò in suo Calendario æram contractuum nominant; fortè quod in obsequandis contractibus soleret adhiberi. Huius initium Epoca ab illo anno deducere solemne est, qui ante æram Christianam putatur 312. & est in Per. Iul. 4402. quo 117. Olympias inuit. Verum triplicem hanc pro triplici diverso initio facit Scalig. Can. Isag. lib. 3. idque iam apud doctos receptum est. PRIMA, Iudaica dicitur, quam Iosephus & Auctor libri primi Machabæorum sequuntur. Uterque annos Græcorum vocat, Iosephus semel annos Assyriorum Antiq. lib. 13. Hæc autem à Nisan, seu verno mense incipit. SECUNDA Antiochena, seu Alexandræa vocatur quæ ab autumno subsequente & Tifri procedit, à quo etiam annos Dhilkarnaim ab Arabibus, & Contractuum à Iudæis numerari docet Peravius lib. 10. de doct. temp. & Vfferius in Annalibus: dissentiente licet Scaligero, qui hos à Nisan incipere vult. Collector 2. lib. Machab. hæc æra usus est: ita ut anni prioris libri, sex mensium intervallo posterioris antevertant initia. TERTIA quoque additur, quæ Chaldæorum est, quæque à vere sequente incipit. Ita fit ut anno integro hæc æra sit Iudaica posterior; Antiochena verò intervallo tantum semestri. Atque hanc in Principum rescriptis usurpatam censet Vfferius (ut hic in lib. 2. cap. 11. perspicere licet) necnon in magna Ptolemæi Syntaxi lib. 9. cap. 7. & lib. 11. cap. 8.

Hæc autem discrepantia, quæ nemini unquam ante Scaligerum oboluit, ut ipsemet ait, maximè notanda venit iis qui utriusque libri Machabæorum historiam, ad concordem chronologiam, quæ per annos circiter 40. extenditur, revocare studuerint. Cuius breve specimen hic annotare visum est.

Alexandri Magni expeditio, mors, & regni divisio. 1. lib. cap. 1. vers. 1. & seq. Seleucus Philopater Oniz Pontificis pietate ductus præstat omnes sumptus ad sacrificia. 2. l. 3. 1. — 3. Heliodorus ab eo missus ut ærarium diriperet, ab Angelis flagellatur. 2. lib. 3. 1. — 40. Antiochus Epiphanes Seleuco fratri succedit. 2. lib. 4. 7. & 1. lib. 1. 11. & seq. Oniam expellit, & impium Iasonem fratrem eius substituit. 2. lib. 4. 7. & seq. Primam in Ægyptum expeditionem suscipit. Inde Ierosolymam pacatus ingreditur. Ibid. 21. 22. Summoto Iasoni Menelaus substituitur. Ibid. 23. & seq. Huic Alcimus 2. lib. 14. 3. Secunda expeditio in Ægyptum, unde rediens Antiochus Ierosolymam armis capit, & templum expoliat. 2. lib. 5. 1. & seq. 1. lib. 1. 17. & seq. Post duos annos misit Apollonium in Iudæos. 1. lib. 1. 30. & 2. lib. 5. 24.

Iudæos ad ritus Gentium transferre molitur. 1. lib. 4. 3. & seq. 2. lib. 6. 1. & seq. Eleazarum, item fratres septem Machabæos, cum eorum matre, exquisitis tormentis cruciat. 2. lib. 6. 18. & seq. cum toto cap. 7. Mathathias ministrum Regis sacrificare cogentem interficit, & cum suis in desertum fugit, hõsque Philippus insequitur. 1. lib. 2. 1. & seq. 2. lib. 7. 1. & seq. Filios cohortatus moritur; Iudas Machabæus in locum patris sufficitur. 1. lib. 2. 49. & 3. 1. & seq. ac 2. lib. 8. 1. & seq. Antiochus Epiphanes in Persidem proficiscitur, relicto Lyfiâ super regiones inter Euphratem & Ægyptum. 1. lib. 3. 27. Ptolemæus filius Dorimini, Nicanor & Gorgias, à Lyfiâ & à Philippo Hierosolymam præposito (2. Mach. 5. 22.) missi, ut universum Iudæorum genus decerent, à Iuda vincuntur. 1. lib. 3. 38. & seq. 4. 1. & seq. 2. lib. 8. 8.

Timotheus & Bacchides ab eodem victi; Lyfias quoque, qui in Iudæam irruerat, delecto exercitu Antiochiam fugit. 2. lib. 8. 30. & 1. lib. 4. 28. & seq.

Machabæus civitatem recipit, & templum mundat. 2. lib. 10. 1. & 1. lib. 4. 36. & seq.

Epiphanes revertitur ex Perside & miserè moritur, cui succedit Antiochus Eupator, curante Lyfîa. 1. lib. 6. 1. & seq. 2. lib. 9. 1. & seq.

Iudæ expeditiones in Idumæos & Ammonitas. 1. lib. 5. 6. & 2. lib. 10. 24.

Lyfias iterum à Machabæo, Angelo duce, vincitur. 2. lib. 11. 1.

Legatos de pace mittit. Assentit Machabæus, sed illa pax ex ducum Antiochi malitia statim rupta. Ibid. 13. & seq. & 12. 1.

Varia Machabæi prælia. 2. lib. 12. 5. & seq. 1. lib. 5. 37. & seq.

Hierosolymam rediens, milites Antiochi in arce obidet. 1. lib. 6. 18.

Eupator cum Lyfîa & immenso exercitu Iudæam aggreditur, in quem fortiter pugnat Machabæus. 1. lib. 6. 28. & 2. lib. 12. 13.

Elcazarus ruentis bestie mole opprimitur. 1. lib. 6. 43.

Menelaus interimitur. Alcimus ei substituitur. 2. lib. 13. 4.

Rex, Bethsurâ captâ, ad Ierusalem castra mo-

vet, sed pace cum Iudæis constitutâ, intra urbem admissus, contra fidem muris everfis, Antiochiam proficiscitur, ubi Philippum è Perside reversum dominantem invenit. 1. lib. 6. 48. & seq. 2. lib. 13. 18. & seq.

Demetrius Seleuci, qui ante Antiochum Epiphancem regnaverat, filius, Româ egressus, Antiochia potitur, & Eupatorem cum Lyfîa occidi iubet. 1. lib. 7. 1. & 2. lib. 14. 1. & seq.

Demetrius, Bacchidem & Alcimum, cui summum Sacerdotium contulerat, in Iudæam mittit, sed à Machabæo fugantur. 1. lib. 7. 6.

Nicanor postea à Demetrio missus adversus Iudam, fœdus cum eo inicit; sed eo rupto à Machabæo vincitur. 2. lib. 14. 3. & seq.

Rhazias gladio se interimit. 2. lib. 14. 37.

Iudas, narrato somnio de Onia 3. & Ieremia, suos excitat. Occiditur ipse Nicanor. 1. lib. 7. 43. & 2. lib. 15. 1. 28. & 7. 11. & seq.

Hucusque perducitur secundi Machabeorum libri Historia, cum iis, quæ in septem prioribus libri primi capitibus narrantur permixta. Consequens historie series habetur à capite 8. libri primi, ad finem usque, ubi Historia Vereris Testamenti terminatur. Quæ verò de rebus Iudæicis hinc usque ad Christum supersunt, & per annos circiter 130. extenduntur, ea ab Iosepho petenda sunt, quæ sua ex Pontificum Diariis excerptisse crediunt.

CAPUT PRIMUM.

Mortuo Alexandro Magno, qui Darium percusserat, successit tandem in Græcia Antiochus illustris: sub quo scelerati quidam ex filiis Israël profanarunt Ierusalem: Antiochus autem, devicto Ptolemæo rege Ægypti, invasit Ierusalem; & ablatis omnibus vasis templi ac thesauris, fecit cædem magnam, unde ortus est ingens planctus: simile fecit & princeps tributorum ab eo missus, incensâ Ierusalem, plurimisque in captivitatem ductis: Antiochus leges idololatriæ Iudæis statuit, ablatis cunctis divini cultus ceremoniis, & edificato idôlo desolationis, renitentes miserè trucidans: cuius edicta plurimi impij secuti sunt, pii verò respuerunt, mortem potius subire parati.

ET factum est, postquam percussit Alexander Philippi Mæcedo, qui primus regnavit * in Græcia, egressus de terra Cæthim †, Darium regem Persarum, & Medorum:

2. constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ,

3. & pertransiit usque ad fines terræ: & cantur omnia loca quæ à mari alluuntur. Hic intelligitur Macedonia.

* Anno M. 3668. Ant. Chr. 336. Olymp. 111. ann. 1. cum ipse Alexander annum attigisset 20. † Sic vocantur omnia loca quæ à mari alluuntur. Hic intelligitur Macedonia.

accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu eius.

4. Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor eius:

5. & obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum.

6. Et post hæc decedit in lectum, & cognovit quia moreretur.

7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuventute: & divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret.

8. Et regnavit Alexander annis duodecim, * & mortuus † est.

9. Et obtinuerunt pueri eius regnum, unusquisque in loco suo:

10. & imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filii eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.

11. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris *, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum †.

12. In diebus illis exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus,

obles fuisset: postea, patruele suo Demetrio, filio Seleuci Philopatoris, substituto, liber est emissus.

† i. Anno M. 3829. Ant. Chr. 175. Vide titulum huius libri. 2. Mach. 4. 12.

* Sc. intergrus, cum mensibus ferè octo. † Anno M. 3681. Ant. Chr. 323.

* sive Epiphanes, Antiochi Magni filius, qui cum ex conditionibus patris suo datus Romæ

mus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.

13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum.

14. Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent iustitiam Gentium.

15. Et ædificaverunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges Nationum:

16. & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venundati sunt ut facerent malum.

* Ann. M. 3834. Ant. Chr. 170. 17. * Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti ut regnaret super duo regna.

18. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa navium multitudine:

* Philometora, ut hic Ioseph & Hieron. ad Danielem. 19. & constituit bellum adversus Ptolemæum * regem Ægypti, & veritus est Ptolemæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.

20. Et comprehendit civitates munitas in Terra Ægypti: & accepit spolia Terræ Ægypti.

* Ann. M. 3834. Ant. Chr. 170. 21. Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno *: & ascendit ad Israël,

22. & ascendit Ierosolymam in multitudine gravi.

23. Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.

24. Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos invenit: & sublati omnibus abiit in terram suam.

25. Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.

26. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eorum:

27. & ingemuerunt principes, & seniores: virgines, & iuvenes infirmati sunt: & speciositas mulierum immutata est.

28. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant:

29. & commota est terra super habitantes in ea, & universa domus Iacob induit confusionem.

30. Et post duos annos * dierum misit rex principem tributorum † in civitates Iuda, & venit Ierusalem cum turba magna.

31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.

32. Et irruit super civitatem repente, & percussit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum ex Israël.

33. Et accepit spolia civitatis: & succendit eam igni, & destruxit domos eius, & muros eius in circuitu:

34. & captivas duxerunt mulieres: & natos, & pecora possederunt.

35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:

36. & posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos, & convulnerunt in ea, & posuerunt arma, & escas, & congregaverunt spolia Ierusalem:

37. & repofuerunt illic: & facti sunt in laqueum magnum.

38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israël:

39. & effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminaverunt sanctificationem.

40. Et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos, & facta est habitatio exterorum, & facta est externa femini suo, & nati eius reliquerunt eam.

41. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, * dies festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum.

42. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: & sublimitas eius conversa est in luctum.

43. Et * scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus, unus: & relinqueret unusquisque legem suam.

44. Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum regis Antiochi:

45. & multi ex Israël consenserunt servituti eius, & sacrificaverunt idôlis, & coinquinaverunt sabbatum.

46. Et misit rex libros per manus nuntiorum in Ierusalem, & in omnes civitates Iuda: ut sequerentur leges Gentium terræ,

47. & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei,

48. & prohiberent celebrari sabbatum, & dies solemnes:

* Ann. M. 3836. Ant. Chr. 168. † Nempce Apollonium. 2. Mach. 5. 24.

* Tob. 2. 6. Amos 8. 10.

* Ann. M. 3837. Ant. Chr. 167.

CAPUT II.

49. & iussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israël.

50. Et iussit edificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia,

51. & relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes Dei.

52. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.

53. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.

54. Et iusserunt civitatibus Iuda sacrificare.

55. Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini: & fecerunt mala super terram:

56. & effugaverunt populum Israël in abditiis, & in absconditis fugitivorum locis.

57. Die quintadecima mensis Casleu, quinto & quadragesimo & centesimo anno * edificavit rex Antiochus abominandum idolum † defolationis super altare Dei, & per universas civitates Iuda in circuitu edificaverunt aras:

58. & ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant: 59. & libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos:

60. & apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.

61. In virtute sua faciebant hæc populo Israël, qui inveniebatur in omni mense & mense in civitatibus.

62. Et quinta & vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.

63. * Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum iussum regis Antiochi,

64. & suspendebant pueros à cervicibus per universas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.

65. Et multi de populo Israël definiunt apud se, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis:

66. & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt:

67. & facta est ira magna super populum valde.

Mathathias cum filiis luget afflictionem civitatis, & sanctorum profanationem: ostensisque signis mæstitia, respondet his qui à rege missi erant, nec se nec cognitionem suam impio decreto obtemperaturos: occisisque idololatrà Iudæo & regis ministro, fugit cum filiis in montes: plurimi nolentes obtemperare trucidantur, cum nolent sabbato inimicis resistere. Mathathias collecto piorum exercitu, revocat Dei cultum, destruit à idololatrà, casoque Antiochi presidio: & moriturus hortatur filios, ut patrum exemplo semper tueantur legem Domini, dans Simonem filium suum in consultorem, & Iudam in militia principem.

1. **I**N diebus illis surrexit Mathathias Anno M. filius Ioannis, filij Simeonis, fa- 3837.

cerdos ex filiis Ioarib ab Ierusalem, & confedit in monte Modin:

2. & habebat filios quinque, Ioannem, qui cognominabatur Gaddis:

3. & Simonem, qui cognominabatur Thasi:

4. & Iudam, qui vocabatur Machabæus:

5. & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Ionathan, qui cognominabatur Apphus.

6. hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ierusalem.

7. Et dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?

8. Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis.

9. Vasa gloriæ eius captiva abducta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis, & iuvenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.

10. Quæ gens non hereditavit regnum eius, & non obtinuit spolia eius?

11. Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.

12. Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea Gentes.

13. Quò ergo nobis adhuc vivere?

14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filii eius: & operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde.

15. Et venerunt illuc qui missi erant à rege Antiocho, ut cogèrent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, &

& accendere thura, & à lege Dei discedere.

16. Et multi de populo Israël consentientes acceperunt ad eos: sed Mathathias, & filii eius constanter steterunt.

17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathie: Princeps & clarissimus, & magnus es in hac civitate, & ornatus filiis, & fratribus.

18. ergo accede prior, & fac iussum regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem: & eris tu, & filii tui inter amicos regis, & amplificatus auro, & argento, & muneribus multis.

19. Et respondit Mathathias, & dixit magnà voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis eius:

20. ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.

21. propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, & iustitias Dei:

22. non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus alterà vià.

23. Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Iudæus * in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum iussum regis:

24. & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram:

25. sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit,

* Num. 25. 13. & zelatus est legem, * sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.

27. Et exclamavit Mathathias voce magnà in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me.

28. Et fugit ipse, & filii eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate.

29. Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, & iustitiam, in desertum:

30. & federunt ibi ipsi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala.

31. Et renunciatum est viris regis, & exercitui, qui erat in Ierusalem civitate David quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis in loca

occulta in deserto, & abiissent post illos multi.

32. Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum,

33. & dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc? exite, & facite secundum verbum regis Antiochi, & vivetis.

34. Et dixerunt: Non exhibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum.

35. Et concitaverunt adversus eos prælium.

36. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta,

37. dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum, & terra, quòd iniuste perditis nos.

38. Et intulerunt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum usque ad mille animas hominum.

39. Et cognovit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt super eos valde.

40. Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris: nunc citius disperdent nos à terra.

41. Et cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo, quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidaorum fortis viribus ex Israël, omnis voluntarius in lege:

43. & omnes, qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.

44. Et collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & ceteri fugerunt ad nationes, ut evaderent.

45. Et circumvit Mathathias, & amici eius, & destruxerunt aras:

46. & circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israël: & in fortitudine.

47. Et persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum:

48. & obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori.

49. Et appropinquerunt dies Mathathie moriendi, & dixit filiis suis: Nunc

con-

* Olymp. 153. 10-
seph.

Eodem ann. 3837. † Iovis sc. Olympij, cui consecratum templum legimus, 2. l. c. 6. 2. Vide Dan. 11. 31.

* 2. Mach. 6. 10.